



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Venatio Sacra. Sive Puer Amissus**

**Cabilliau, Baudouin**

**Lovany, 1642**

Elegia XI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70011)



Aut potius liquor argento se diuite vertat.  
 Calculus hic omnis cui mera gemma foret.  
 Vnde corona fluat castis argentea Nymphis,  
 Et dos sacra Deo, cælite digna tholo.  
 Hactenus argento liquido tibi fluxerit vnda;  
 Vt bibero, flauis aureus ibis aquis.  
 Ergo bis inde bibam: Nais fluat vber in auro,  
 Quod dat larga Midæ; num mihi parca neget?

## ELEGIA XI.

1. Ipsa etiam Agar fonti felicia vota nuncupat.
2. Optat odoratis prætexi stirpibus.
3. Itē, ut Nilo & quouis amne largior decurrat.
4. Marmoræam Pietatis statuam illi vouet dedicari.

**C**VI sibi non vitreus modò qui natat aduena cæpo,  
 Fons hic amnigenas auctus adoptat aquas?  
 Latius ut ripis diffusa capacibus vnda,  
 Augeat irriguis arua beanda vijs;  
 Largius & Pharias Nais decurrat in oras,  
 Hac vbi me saluum Naiade fama canat.  
 Nam decet, ut castas tangat quoque gloria Nymphas.  
 Vbera dant Nymphæ, quæ pius ornat Amor,  
 Nempe sciunt puero gelidis dare pocula riuis,  
 Infanti puero, cui comes ægra parens:  
 Post Arabis ut magnus eat regnator in aruis  
 Abramiâ Ismaël nobile stirpe genus.  
 Hoc de fonte suos arbos vbi plurima succos  
 Ducet; in immensum crescet amœna nemus:  
 Sequæ Syras olim latè diffundet in oras.  
 Quot serit hæc ramos, sceptrâ tot inde legas,  
 Hanc igitur Nympham viridi cole fama coronâ,  
 Cui pius incaluit, dum puer arsit, amor.  
 Quæque meum pueri sensit, doluitque dolorem;  
 Vnde mihi faciles larga profudit aquas.



ELEGIA XI.

51

2

Quin etiam virides ripas mihi confere syluis,

Balsame siue tuis, seu pia Myrrha tuis :

Hinc vt odoraras lacrymas bibat ebria Nais,

Nais alens medico rore salubris opem.

Nais & effundat Panchæi floris odores,

Diues vt Elysiu pascat arena nemus.

Nec satis io. de fonte satur fluat vbere riuus,

3

De riuo flumen, flumine Nilus eat.

Nilus at hic Phario Nilo formosior amnis,

Defluat illimi pura per arua pede.

Non cui pestiferum stat dente minace periculum :

Nec fluuialis equus, nec Crocodilus eat.

Legitimus fons ergo fluat iam nobile flumen,

Quaque fluit, pulchras fama sequatur aquas.

Quem quoties sitiente satur bibet ore viator ;

Dicat, iò quales fons sapit iste fauos !

Vt puto, primæuum talis fons imbuit hortum :

Dulcius aut illo mel mihi fonte parit.

Quod super, ab Syrijs huc quisquis es aduena regnis, 4

Ars cui docta stilo est, & colis artis opus :

Vicinâ de rupe fabram mihi sculpe figuram,

Que memor officij nomina grata ferat.

Quam legat, & seros pia fama renarret in annos

Et maris, & terræ quisquis oberrat iter.

Finge mihi pnerum, simul vbera finge parentis :

( Alma parens pietas ) lac puer inde bibat :

Dein insculpe cauo victurum marmore nomen,


Sol cui de radijs fulua det ora suis :

*Que paris hunc fontem, Pietas, tibi dedicat aram*

*Ille puer moriens, cui sata fonte salus.*

F I N I S.





D.  
D.  
T  
A  
qui  
vnc  
niam